THESES EX DISCIPLINIS THEOLOGICIS QUAS IN ANTIQUISSIMA…

Giovanni Francesco Banchieri



THESES

EX DISCIPLINIS THEOLOGICIS

QUAS

IN ANTIQUISSIMA ET CELEBERRIMA

C. R. PATAVINA UNIVERSITATE

PRO

SUPREMA S. THEOLOGIAE LAUREA

ADIPISCENDA

DEFENDENDAS SUSCIPIT

JOHANNES FRANCISCUS DE' BANCHIERI

PATRIARCHATUS VENETI PRESBYTER

XV KAL. MAII

PATAVII

EX TYPOGRAPHIA CRESCINIANA

MDCCCXXVI



ILLUSTRISSIMO · ATQVE · AMPLISSIMO · VIRO

D · FRANCISCO · NOBILI · DE' BANCHIERI

VTRIVSQVE · IVRIS · DOCTORI

CAES· R· AVSTRIACI · ORDINIS · CORONAE · FERREAE

EQVITI

REGII · VENETI · MVNICIPII · ASSESSORI · PRIMARIO

GENERALIS · COETVS · PVBLICAE · BENEFICENTIAE

MEMBRO · ETC

GRATI · ANIMI · ET · REVERENTIAE · ERGO

HVNCCE · THEOLOGICARVM · THESIVM · LIBELLVM

OBSEQVENTISSIMVS · EX · PATRE · NEPOS

D· D· D

PRAECLARISSIMAE ATQUE PERILLUSTRI

IN C. R. PATAVINA UNIVERSITATE

THEOLOGICAE FACULTATI

S. P. D

CANDIDATUS

Nil sane suavius, Professores Amplissimi, Auditores Benignissimi, nil animo erigendo aptius, nil scientiarum artiumque amore in cordibus hominum excitando jucundius, quam humanitas et mansuetudo eorum, qui cum omnigenae eruditionis adparatu necnon profunda tum divinarum tum profanarum disciplinarum cognitione caeteris omnibus praefulgeant, nullo tamen

elationis sensu permoti ita de se demisse sentiunt, ut addere incitamenta non dedignentur iis etiam juvenibus, qui primo dumtaxat haustu ditissimos Sophiae fontes degustarunt. Est quidem litterarum culturae voluptas gratissima: ast juvenilis animus laborum vastitate ac studiorum implicatione facillime defatigatur, nisi ab iis, qui in Minervae palaestram victores semper descendunt, sustentetur atque erigatur.

Quae cum ita sint, vestra lenitate atque dulcedine exhilaratus et ego, Professores Amplissimi atque Patroni Gratiosissimi, sub auspiciis vestris video me, etsi indignum ac sacrarum litterarum pauperrimum, ad summos in theologica re honores jamjam erectum. Videbatur quidem Divina Providentia metam studiorum meorum in aliena regione statuisse dum Praesulum meorum nutui obtemperans Linguarum Orientalium et S. Codicis amore incensus Metropolim Imperii nostri peterem, ac simul etiam illic triennium immoratus aliis quoque disciplinis, qua par erat, diligentia incumberem. Sed animus meus oculos continuos intendebat in celeberrimum hoc atque antiquissimum Archigymnasium, in quo scientiae

et artes nullo non tempore luctuoso atque immiti tota Europa plaudente fixas sedes habuerunt. Accedit eodem majores meos huc et propinquos, quos inter astrum illud aureae Latinitatis *Forcellinius*, confluxisse, ac non invita Minerva sive in medicis sive in juridicis institutionibus *sacrâ redimitos tempora lauro* inde laetos discessisse. Non poteram igitur aliter, quam ipsi, sentire, et licet meritis inops Italicas hasce Athenas non invisere. Sed cum illi quidpiam etiam sibimetipsis, necnon a se exantlatis laboribus debuerint, me quod spectat humanitati atque munificentiae vestrae totum deberi non diffiteor.

Quapropter vestro in me jamjam collato favore excitatus, sancto quodam fervore in ss. litterarum cultum perfusus, quid gravius alta pervolvere potui mente, quam quum gratia divina opitulante pro suprema Theologiae laurea sim disputaturus, Vos enixe rogare, ut has meas theses publico tentamini subjectas animo devotissimo Vobis substerni permittatis? Velim ego dum hoc adeo exiguum monimentum offerre audeo, id nonnisi grata adsequi mente, ut favorem vestrum mihi licet indigno concessisse

videamini, ut reverentiam illam, quam ore et corde lubenter nunquam non sum praestiturus, data hacce felici opportunitate Vobis ostendere valeam: ut theologicarum veritatum defensionem suscepturus illud probem consilium atque charitatem, quam Vos, quorum est orthodoxam fidem contra obtrectatorum conamina invicte tueri, ab auditoribus vestris merito exoptatis.

Hoc unum itaque restat, ut insita penitus Vobis humanitate, Professores Clarissimi ac Patroni Gratiosissimi, conatus laboresque meos benigne excipiatis, et vestri vultus hilaritate animum meum nimio quidem timore perculsum recreetis atque erigatis. Quod si quid fortasse errabo, detis, quaeso, veniam ac ne adscribere negligentiae meae velitis, sed potius intellectus memoriaeque infirmitati, humiliter a Vobis peto Vosque suppliciter oro.

THESES

EX HISTORIA ECCLESIASTICA.

I

Validissimum ad omnimodam positivae religionis cognitionem comparandam Historia Ecclesiastica subsidium est.

II

Persecutiones in primaevos Christianos motae rem catholicam magnopere promoverunt.

III

Ss. Stephanus et Cyprianus quaestionem *de Rebaptizandis Haereticis* non ad solam disciplinam ecclesiasticam, sed ad fidem pertinere censuerunt.

IV

Dogma catholicum de usu et cultu Imaginum probatur ex Patribus et Ecclesiae judicio.

V

Celeris Muhammedanismi propagatio non est sanctae causae indicium.

VI

Expeditionum *Cruciatarum* origo et progressus e temporum, quibus suscipiebantur, indole apprime explicari possunt.

504

VII

Sic dicta *Lutheri Reformatio* quamvis lapsu temporis progressibus humaniorum litterarum ex parte faverit, multorum tamen per eam in orbem christianum invectorum librorum copia illis ut plurimum nocuit ita, ut dici potius queat Ecclesiam Catholicam omni sub respectu litteras et scientias nullo non tempore promovisse.

EX JURE ECCLESIASTICO.

I

Summa Ecclesiae potestas est penes corpus Episcoporum Romano Pontifici coadunatum.

II

Ecclesiae Catholicae competit potestas legislatoria, judiciaria et executiva.

III

Primatus divinae institutionis in Ecclesia Catholica tum honoris tum jurisdictionis residet apud Romanum Pontificem.

IV

Consensus Ecclesiae dispersae aequivalet auctoritati Conciliorum Generalium.

V

Potestas constituendi impedimenta matrimonii est penes Ecclesiam et Civitatem secundum diversos respectus, sub quibus utrique potestati subest.

VI

In matrimonio tum ecclesiasticarum tum civilium legum habenda est ratio.

VII

Beneficiati supervacaneorum bonorum ecclesiasticorum non sunt domini.

EX BIBLICIS ANTIQUITATIBUS.

I

Cognitio antiquitatum hebraicarum Theologo non minus jucunda, quam necessaria est.

II

Ad conservandum inter Hebraeos veri Dei cultum sejunctio a Gentibus efficax erat medium.

III

Hebraei quoad poeticum ingenium inter veteres orientales post Arabes primas tenent.

IV

Sacrorum hebraicorum rituum varius ac multiplex adparatus, spectata Hebraeorum indole atque cultura, finem, cujus gratia statuti fuere, promovebant.

V

Origo sacrificiorum si respectus habeatur culturae primorum hominum, nonnisi ex divina revelatione repeti potest.

VI

Plures ritus in veteri Foedere sensum typicum fundunt.

EX INTRODUCTIONE IN LIBROS V.T.

I

Suppositio Librorum veteris Foederis sincero Hebraeorum characteri repugnat.

II

Quinque Mosis libri nullos continent mythos sive historicos sive poeticos sive philosophicos.

III

Maxima gaudet probabilitate opinio illorum, qui Versionem LXX. primam fuisse statuunt.

IV

Dialectorum hebraicae linguae cognatarum adcurata cognitio Interpreti ss. litterarum admodum necessaria est, ut usum loquendi biblicum agnoscat.

V

Biblica vaticinia non eo, quo Gentium oracula, habenda sunt sensu.

VI

Dempto ornatu poetico, qui aliis quoque libris s. Scripturae communis est, liber Jobi veram continet historiam.

VII

Instituta in Cap. VII. Jesaiae adcurata exegesi, evincitur illud esse omnino Messianum.

EX HERMENEUTICA BIBLICA.

I

In s. Scriptura catholice interpretanda religiose tenenda est fidei analogia ceu tutissima norma.

II

Privatus sensus non potest statui summum principium veram in s. Codice inveniendi interpretationem.

III

Ars critica, ut cum emolumento a S. Interprete adhibeatur, vastam eruditionem et non exiguas animi dotes merito postulat.

IV

Adcommodatio, ut vocant, positive dogmatica divino Christi characteri repugnat.

V

Decretum Concilii Tridentini sess. IV. usum originalium Textuum non vetat.

VI

Qui miraculorum in Bibliis occurrentium narrationes in eventuum naturalium descriptiones convertunt, veros interpretandi canones violant.

EX INTRODUCTIONE IN LIBROS N. T.

I

Auctoritas canonica librorum quorumdam N. T. ideo minime labefactatur, quod unus alterve ss. Patrum aut scriptorum Ecclesiasticorum eos in elencho suo omiserit.

II

Integritati Librorum N. T. nil detrahunt innumerae, quae protenduntur, *Lectiones Variantes*.

III

Versio Graeca Evangelii s. Matthaei fideliter ante oculos sistit textum originalem aramaicum.

IV

Prima duo capita Evangelii a s. Matthaeo conscripti genuina esse firmis rationibus nixi adserimus.

V

Versio Syriaca *Pheschito* appellata sub initium saec. II. exarata est, atque immediatam esse multis argumentis ostenditur.

VI

Epistola ad Hebraeos Apostolo Paulo abjudicari nequit.

EX DOCTRINA DOGMATUM.

I

Naturalis ratio absque revelationis divinae subsidio in turpissimos errores ac stultissimas superstitiones impinxisse testis Historia est.

II

Veri nominis miracula et eventu impleta vaticinia ad probandam cujuspiam legati divini missionem suppeditant criterium omni exceptione majus pro adstruenda veritate doctrinae ab ipso propositae.

III

Solam Ecclesiam, quae Romano Pont. subest, prae caeteris, quae dictitantur ecclesiis, esse vere catholicam ineluctabilibus argumentis probatur.

IV

Vera Ecclesia tantum legitimus est ss. Scripturarum interpres, ac supremus controversiarum fidei judex.

V

Peccatum primorum parentum in omnes, quotquot ex Adamo sunt, homines transfundi ss. litterarum oraculis probatur.

VI

Verbi divinitas ex s. Codice manifestissime eruitur.

VII

Eucharistiam esse verum Novae Legis Sacrificium tum s. Scripturae effatis, tum totius Ecclesiae non interrupta traditione jure merito evincitur.

VIII

Pro justificatione in adultis primum requiritur fides, quae tamen sola non sufficit, cum et opera necessaria sint.

EX ETHICA CHRISTIANA.

Amor Dei quâ Legislatoris sanctissimi multo efficacius ad virtutem amplectendam motivum fit, quam mera legis moralis reverentia.

II

Cultus divinus externus inter christiani hominis officia stricte sumpta merito recensetur.

III

Jusjurandum nec rationi nec revelationi contrarium Christi cultori permissum licitumque est.

IV

Mendacium, quod *necessitatis* vocant, nequit a turpitudinis labe immune reddi.

V

Avtochiriam tum religio christiana tum sola ratio damnat

VI

Restitutionis officium jure naturali et divino asseritur.

VII

Cultus sanctorum et Reliquiarum merito positivis virtutum christianorum subsidiis adnumeratur.

EX THEOLOGIA PASTORALI.

I

Institutio catechetica optimum medium est, quo Pastor fidelium intellectum illustrare atque eorum corda ad virtutem evehere possit.

II

Homiliae ita fieri debent, ut proponatur argumentum, perspicue populo explicetur et ad mores adplicetur.

III

Debet Pastor ex stricto conscientiae officio prae caeteris Christi fidelibus subjectas sibi plebes bono exemplo salutis semitam docere.

IV

Errores et praejudicia populi sibi subditi a Pastore non uno ictu, sed efficaci prudentia auferenda sunt.

V

In exercitio muneris sui a bono Pastore una cum christiana lenitate circumspectio et fortitudo conjungendae sunt.

VI

Cum finis auricularis Confessionis non tantum eo tendat, ut reconcilietur reus, verum etiam ut ejus cor innovetur, videat Pastor, qui hanc metam adsequi debet, quandonam neganda vel differenda absolutio sit.

VII

Insigne populum ad frequentationem Ecclesiae et ss. Mysteriorum excitandi medium est adcurata ac devota rituum caeremoniarumque celebratio, quas s. Mater Ecclesia in sacris functionibus praecipit.

